

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Jonstoni Historia Naturalis

Ioannis Ionstoni|| Theatrvm|| Vniversale Omnivm|| Animalivm|| Insectorvm

Jonston, Jan

Heilbrunna, MDCCLXVIII.

VD18 90529197

Illustration: Tab. XIX. Muscae Vermes arboreae Xylophthori Aldr [...]

urn:nbn:de:gbv:45:1-11095


Muscae

Vermes

arborea

Xylophthori

Aldr.





lus pedesque omnes et recurvum in cauda cornu, ex rubro nigrescunt; maculae lateribus transversim inductae dimidio purpurascens albicant: rubescunt punctula: caeterum vero corpus undique virens videtur. *Altera Sambucina*, quae non multum ab ea differt, nisi quod undique virescit, transversis illis maculis albissimis, et punctulis quibusdam lacteis exceptis. Sambuco rosea inprimis vescitur. *Tertia Lactucaria* ubique viridis in thecam sese fuscā appetente autumnō vertit; olera comedit molliora, lactucas praefertim. *Quarta Mespilaria* minor est, undique virescens in thecam cinereā maculis nigris conspersam sese recipiens. *Quinta Quercina*, omnium minima, in arboribus (quercu praefertim) fila ducit, per quae descendit in itinerantium capita vestesque et galeos illaqueat; notissimum aestate animalculum, et ubique obvium rudi tela sese implicat autumnō ingruente, et rubro-viridi theca inclusa, moritur hyeme, decem duntaxat pedibus donatur, ut superae omnes.

Flavescentes dicimus, quae maximam partem flavent. Tales hae figurae repraesentant; quibus servatur quicquid a nigro liberum: id si pallidiori flavo infeceris, Icones habes depictas. Vivunt mollioribus foliis, praefertim tiliae.

Vinula elegans mehercules Eruca, et supra fidem speciosa: in salice eam invenimus avide pascentem: labra atque os illi subflava, oculi anthracini, frons purpurea, pedes extremumque corpus herbaei: cauda bifurcata ex vinaceo nigricans. Corpus universum veluti crassiore rubicundoque vino intinctum; quod a collo per scapulas decussatim transiens, ad caudam usque linea albissima, mirifice adornat.

Fusca Porcellus Eruca dictus, ex fusco nigricat, *major* praefertim; in *minore* quos vides orbiculos, albicant: trifolii palustris foliis frequenter insident, eaque mira celeritate devorant.

Variae decem sunt, quae conspiciuntur. *Primae* facies coerulea, oculi nigerrimi; corporis cuticula caesia, nigris flavisque punctulis multum conspersa: in aureliam convertitur spadiceam, alba membrana vestitam, brassicas amat, et genus universum naporum.

Secunda caput, pedes, caudamque nigerrima obtinuit, cancelli quadrati, flavi sunt: intus quae pinguntur tessellae, striis nigris glaucisque alternatim in longum ductis distinguuntur. Foeniculum amat, anisumque atque cuminum.

Tertia ex albo viridis gibbosa in incessu graditur; est enim utrinque sepes duntaxat, sicuti omnes *ὑπέραι*. In aureliam echinatam mutatur, colore furvam: oleas absumit.

Quarta draconitum depascens viperam maculosam refert: incedit semper capite erecto, et pectore potissimum se sistit: amat juncos, et fluviis innascentes plantas pappiferas.

Quintae descendentes costas si obsoleto minio infeceris, pauca in Icone habes quae desideres.

In *Sexta* quod album vides, ochra impleas: gaudet utraque populo nigra, eaque sese ingurgitat.

Striae in *Septima* ductae ex flavo albescere debent: reliquum totum corpus fusci coloris in aureliam spadiceam se vertit.

Octava cinerea videtur, ex nigricante undulata: thecam facit nigro puniceam, e qua pulverulenta Phalaena.

Nona varia quidem, et merito censeretur: incisurarum orbis virent; cornu caudae reflexum, cyaneum: sub qua miniata macula ad ornatum facit. Media incisurarum pars cinerem aemulatur: aurelia demum includitur Xerampelina, hanc in via publica invenimus: gaudet ranunculo pratensi.

Decima glauconigra: quod enim hic album est, id glauco superinducto bestiam exprimet. In thecam spiralem transmutatur dilute caerulam, spiris subrubentibus, quae ad buccini conchae formam proxime